




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Polonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



PROVINCIA POLONIÆ.



IN OCTO Societatis domicilijs pro parte Poloniæ facta totius Prouinciæ subdiuisione, Socij 200. fuere recensiti. In domo S. Barbaræ Cracouiæ decem & septem: Sacerdotes decem: Coadiutores septem. In S. Stephani triginta quinque: Sacerdotes quatuor: Coadiutores veterani quinque, ceteri Nouitij. In Collegio Posnanensi quadraginta quatuor: Sacerdotes quindecim, inter quos sex Professores Theologiæ, vnus Philosophiæ, & alius Mathematicæ: præterea quinque Professores inferiorum Scholarum, octo Auditores Theologiæ, Philosophiæ sex, ceteri Coadiutores. In Calissensi triginta sex, Sacerdotes decem, inter quos Professores duo controuersiarum, & casuum, & totidem Philosophiæ, quatuor præterea humaniorum litterarum, Auditores Philosophiæ quatuordecim, ceteri Coadiutores. In Collegio Iareslauiensi triginta tres, octo Sacerdotes, sex Professores inferiorum Scholarum: vndecim Scholastici Auditores Rhetoricæ, ceteri Coadiutores. In Tublinensi viginti duo, Sacerdotes novem, quinque Professores humaniorum: ceteri Co-

adiutores. Toruni quinque , Sacerdotes quatuor , vnus
Coadiutor. Leopoli in Residentia octo , Sacerdotes
quinque, tres Coadiutores.

DOMVS PROFESSA
CRACOVIAE AD
S. Barbaram.

LVIT hoc anno Domus ista è Nostri ordinariè viginti; è quibus Sacerdotes, spiritibus ministerijs Societatis dediti, fuerunt nouem, totidem fratres, qui in re domestica procuranda suam operam impenderunt. Duo denique Nouitij, qui pro more stas temporibus à S. Stephano huc mitti solent. Annus hïc non omninò sanctus nobis extitit. Nam imprimis vnus ex Socijs qui ad domesticas occupationes fuerat destinatus, maligna febris in nostra domo decessit. Mortem deinde fratris, breui communis contagio subsecuta est. Quæ quoniam, velut cœlum nebula inuoluens, vniuersam hanc urbem occupauerat, curatioque ipsa ægrorum, & contactus vulgaret ægritudines; ideò non solum ciues, & incolæ vrbs, per varia pagorum loca dilabi, sed etiam Nostros aliò, atque aliò, non sine magno mœrore, secedere coëgit. Tres tamen Sacerdotes, cum totidem fratribus, vt possent esse peste languentibus auxilio, domi relicti fuerunt, iidemque incolumes seruari, Deo nimirum providente, vt eorum corporibus pestilentia parceret, qui multarum animarum saluti procurandæ inuigilarent. Inter tot mortes, & pericula quæ alios cœnobitas, & parochiales Sacerdotes ita terruerant, vt vix in aliquo vrbs templo aliquis confessionibus aures daret: ideò

tota

tota plebis multitudo ad nostrum templum sese con-
 nerterat, vbi non solum Verbo Dei pabulum singulis
 diebus festis habuere; sed ad quos conscientia suae ma-
 culas quotidie deponerent illis non defuere. Proinde
 vnus ex illis Sacerdotibus, qui Ecclesiastici officio fun-
 gebatur, plus quam duorum millium hominum confes-
 siones excepit. Inde colligere licet quantum alij duo
 Sacerdotes Verbi diuini praedicatione non detenti in
 hoc genere fecerunt. Vniuersae vitae insignium sexus
 vtriusque personarum confessiones, etiam Sacerdotum,
 vltra centum auditae. Aliqui ab arte magica sunt abdu-
 cti. Quatuor supra viginti, qui partim a fide defece-
 rant, partim defectionem meditabantur, ad Catholicam
 Ecclesiam gremium redire. Multae foeminae in plurimis
 adulterijs, inestuque volutatae, ad honestos mores re-
 uocatae. Quaedam etiam matre obiurgante, cum in pu-
 blicis sceleribus perseueraret, frequentibus funeri-
 bus perterrita, ad Patrem nostrum confugit, & pridie
 quam ipsa peste fuisset correpta, criminibus per poe-
 nitentiam expunctis, breui postea vltimum vitae suae
 diem feliciter clausit; pro qua re mater demortuae, in-
 gentes Patri gratias egit. Aliquot quae meretricio qua-
 estu per quinque, aut decem, aut viginti, aut etiam plu-
 res annos vsae sunt, ad poenitentiam sunt adductae. Resti-
 tutio etiam non exiguae pecuniae dominis suis facta est.
 Inopia magna sub hoc tempus periculosum laboranti-
 bus, per pios, & liberales homines a Nostris excitatos
 prouisum est, vt 300. & vltra hominibus inedia pereun-
 tibus, victus, & alia necessaria quotidie subministraren-
 tur. Haec domi.

IN pagis etiam nostri Sacerdotes aequissimis omnium
 auribus vsi sunt: horum concionibus effectum est, vt pa-
 gani confessionis, & Eucharistiae Sacramenta frequentius
 obirent, vt concionum fama nobiles exciti ex alijs cir-

cumiacentibus pagis ad templa libentiùs, & sæpius confluere. Inter quos vnus Trinitarius, qui viginti, & ultra annos in hoc errore exegerat, audita cõcione, Collegium Patris expetierat, & post paucos dies Ecclesiæ Romanæ, mirantibus & freudentibus alijs hæreticis, adhæsit. Alibi Calvinista tribus miliaribus, vt de quibusdam fidei articulis, cum Patre conferret, venit: contulit, disputauit, & manus dedit, accepto que tempore, vt ad peccatorum expiationem se præpararet, post dies aliquot redijt, & poenitiæ, atque Eucharistiæ Sacramento munitus lætissimus atque contentissimus ad suos remeauit. Duo item alij Calvinistæ, coram eodem Sacerdote errores suos abiurarunt. Rudimenta Christianæ fidei sunt etiam simplicioribus explicata, & quoniam per incuriam Parochorum multi ex subditis signum S. Crucis exprimere nesciuerunt, proinde Sacerdos noster in magno concursu hominum videlicet in festo Patroni illius loci, postquam de mysterijs Crucis, & modo signandi populum admonuisset, illorumque inscitiam perstrinxisset, finita concione singulos deinde signum Crucis ritè in fronte exprimere docuit: eadem opera decimæ retentæ Parocho restitutæ: similitates dissidiaque aliquot inter coniuges & inter alios sublata. Fœminæ denique nonnullæ rebus omnibus nuncio remisso Christo sese consecrarunt, vitamque seueriorem susceperunt. Vestes hoc anno sacrae, auro intextæ non parui pretij pro templo nostro donatæ fuere. Denique in structura noui templi antè hoc ferè triennium inchoati, magni hoc anno progressus facti, magnis sumptibus, quos Serenissimus Rex liberalissimè suppeditauit, & ipse in persona sua fabricam videre voluit.

DOMVS PROBATIO-
NIS CRACOVIAE AD
S. Stephanum.

SINGVLARIS Dei nostri in hanc domum
prouidentia, initio anni huius apparuit, cum
in pecoribus nostris in prædijs à peste graui
circumquaque grassante, & permulta in vici-
nis pagis extinguetè conseruatis: tum verò in præsentibus
necessitatibus Domus per piam bonorù virorù legatio-
nem subleuatis. Nam cum in contractis iam debitis quæ
florenos mille excedebant, & nouis insuper contrahendis
ob necessaria Domus coemenda vrgeremur: partim ex
testamento Domini Stanislai Lubarth, Canonici Gusta-
diensis florenos 800. & post obitù Domini Stanislai Kra-
sniski Archidiaconi Cracouiensis florenos 100. ab amicis
nostris executoribus, rem eam ex animo promouenti-
bus, partim verò etiam ex applicatione Patris Prouincia-
lis nostri, à Patre Petro Skarga 100. totidem à Ioanne
Turoirski fratre nostro Domus hæc accepit. Ex qua pe-
cunia, & magna pars æris alieni nimirum floreni 800. cre-
ditoribus est reddita, & floreni 200. persoluti pro horto
suburbano, super quo duorum millium, & centum flore-
norum summam inscriptam hæc Domus habet, ratione
cuius summæ accepit iam Domus horti eiusdem vsum,
donec vel prædictam summam à dominis vel fundi per-
petuitatem obtineat. Cùm in hac vrbe autoritate Il-
lustrissimi Domini Cardinalis Radzivilii Episcopi Cra-
couiensis obiret visitando templa Reuerendissimus Do-
minus Christophorus Kazimiers nominatus tunc Epi-
scopus Kioniensis, resque templi S. Stephani de more
in Sacristia, & ad maius altare, cuius Nostri curam habet

inspiceret: multis viris honoratis præsentibus, frequentique populo astante (erat quippe dies Annunciatæ Virginis facer) conuersus ad homines palam collaudauit bonum, ac decentem ordinem, quem Societas in eiusdem templi ornatu, cæterisque rebus retinet, addens insuper optare se in alijs quoque templis visitandis simile decetiam inuenire: quin etiam ad nostrorum normam paramentis pleraque pro Diocesis suæ templis postea fieri curauit.

PATRES veterani Dõmus huius licet pauci numero, non plures scilicet tribus, operam tamen non poenitentiam ciuitatis huius incolis, & suburbanis hominibus nauarunt, cum in ægrotis adeundis, ac morituris ad pium ex hac vita discessum præparandis, tum in grauiter inter se dissidentibus reconciliandis, ac plerisque à turpi, & mala vita ad frugem, ac honestatem reuocandis. Multorum confessiones generales auditæ. Milites ab improba vita aliquot ad poenitentiam adducti. In fide plerique vacillantes confirmati. Hæretici non pauci ad gremium Ecclesiæ reuocati: inter alios nobilis quidam alicuius notæ: fœmina item triginta annis in errore obstinata: puella etiam à teneris annis in hæresi educata, ab hæreticis parentibus, ipsis inuitis, & grauiter obsistentibus, iam verò dissimulantibus, quin etiam coniuuentibus, Catholica perseuerat. Rerum alienarum restitutiones notabiles factæ. Lites quorundam sanguinem spectantes composita. Ciuis quidam satis in vrbe notus, absque vlla causa nostræ Societati ita grauiter infensus, vt nec pulsus campanarum templi nostri ferre possset, quæ illi Nostrorum memoriam refricabant, de quæ nobis multa mala sentire, ac loqui solitus, tandem ad se redijt, suum errorem agnouit, Nostro est confessus, itaque conciliatus, vt sepius Nostris prandio domi suæ excipiat, & Ecclesiam, domumque nostram libenter inuisat. Decima sexta Iunij, diem suum in hac domo sanctè obiit Pater Ioannes Lochocki, sacramen

sacramentis omnibus prius magno affectu desideratis, pieque perceptis. Hic bonus Pater cum in conuersione sua, singulare probi, ac deuoti religiosi, tum in fine vitæ magnæ resignationis nobis exemplum reliquit.

COLLEGIUM POSNANIENSE.

R AETER conciones ordinarias in templo maximo habitæ sunt passim in alijs inuitatu Parochorum. Doctrina Christiana in quatuor Parœcijs die Dominico tradita. Visitata Xenodochia, & carceres. AEGri, qui ope humana destituti iacebant in publico, in Nosocomijs collocati. Datum est subsidium in extremo certamine animam agentibus, & qui extremo supplicio erant afficiendi. Ex his duo iuuenes familia nobili, cum ob facinus tenti essent, primò irarum pleni, animo contumaci per se & suos atrociam Magistratui denunciare, & nobilitas passim eis impulsoribus fremere. Verùm paulò post congressu, & hortatu Sacerdotis nostri fontes illi peccata sua detestati sunt, & posita ferocia, cum sæpè aliàs (diu enim tenebantur in custodia) tum verò maximè cum iam producendi essent ad necem furentes propinquos & nobilitatem velut indignitate rei, cum lachrymis obtestaturî non destiterunt, ne quid illa animaduersione, cuiquam officeret. Alius cui manus erat imputanda, interuentu Nostrorum atroci illa pœna exceptus, leniori multo animaduersione satisfecit legibus, & Præfecto vrbs, cuius nobilem aulicum vulnerarat. Quæstum impudicum nonnullæ Nostris suadentibus reliquerunt. Hæresim abiurarunt ad septuaginta, ijque viri ferè nobiles, & nonnulli qui annos 40. in illa perfidia vixerant. Lasciuiam, & id genus enormia flagitia, detesta-
ti

ti sunt complures, & nonnulli ex illis, quorum vita in hominum oculos incurrens pessimi erat exempli. Facta est alieni æris restitutio notabilis. Odiæ, contentioneque graues posuerunt ad 60. viri ferè primarij. Ecclesiasticus quidam malè inter se dissidentes ad pacem inducti. Ad eam pecuniam quæ pridem procurandis morbidis colligitur, adiecti vnus è Nostris opera floreni quingenta. Confitentes de tota vita auditi circiter sexcenti.

PESTIS malum quod passim hoc anno sæuiebat, quamuis non omnino Posnaniæ pepercit, scholas nihilominus retinuimus. Et paulò antè præter superioris anni religiosos, nouis etiam è D. Augustini, & D. Francisci familia Theologiæ, ac Philosophiæ Auditoribus aucti sumus. Exercitationibus pijs nonnulli Religiosi, & duorum cœnobiorum Virgines, tum Canonicus nobilis imbutus est, non leui argumento futurus, quantum ad curandos animi morbos hoc salutare meditandi studium valeat, quippe vitam instituit omnino superiori dissimilem. Sodalitati Misericordiæ quæ nunc primùm in hac ciuitate instituta est, certatim Illustres viri, & Reuerendissimos Noster nomina dederunt, de eius progressibus, vt è primordijs augurari licet, speramus annis futuris non desore scribendi materiam. Liberalitatem variorum ordinum, si vnquam, hoc anno experti sumus maximam, quo indicta fuit congregatio Posnaniam. Tantum eo nomine vndique collatum est subsidij, quod abundè suffecit a-lendis omnibus. Ciues verò pro magno id beneficio duxerunt, quòd suas sedes totius Prouinciæ illustriores personæ cohonestassent. Itaque præter multa pro facultate manentibus, & abeuntibus donata, quaternos, & denos aliquando Patres amplè singuli domi suæ acceperunt.

Ad suppellectilem templi accesserunt candelabra sex argentea formæ elegantis, casula cum antipendio eximij operis, auro & grandibus gemmis collucens, è

virginis vnus munificentia, de Societate, ac re diuina iam pridem optimè meritæ. Cuius & alia donaria præsertim sacrarum vestium si computentur, paulò minus florenorum ter mille summam efficient. Ad hæc ex aliorum pia largitione accessit, quod amplius 400. florenis æstimetur.

SEQUVNTVR fructus è Missionibus collecti. Oppida pleraque Germaniæ confinia sex à 40. annis hæresi fuerunt infecta ad eam pestem depellendam semel atque iterum nostris accersitis, acta res est prosperè, iunante Deo. Resipuerunt, & eiuratis erroribus amplius quadringenti sanam doctrinam auidè complexi sunt. Ea res quod circa Paschatis ferias accidisset, placuit omnibus, vt veteri Catholico more, in signum lætitiæ è Christi triumpho conceptæ equites, & pedites oppido egressi, prælato crucis vexillo vicinas Paroecias, & suos agros obirent, hymnum victori Deo patria lingua concinentes. Hanc festam supplicationem exciti è pagis coloni profecuti sunt: senes verò, qui auitæ religionis mysteria memoria tenebant, magno sensu pietatis gratias egerunt superis, quòd redierint tandem longo interuallo hæc religionis veræ symbola, tot annis intermissa. At vicinum oppidum factum hoc, alio simili instructo agmine, imitatum est. Et quanquam non multò antè è tenebris errorum emergere cœpit, non diffidimus tamen etiam inibi propediem Catholicam rem propagatam iri. Possidetur enim à matrona insigni pietate hæresum funditus extirpandarum cupidissima, quæ etiam in eum finem Nostris vtrò data pecunia compendium controuersiarum, de quibus potissimè disceptari, & ambigi solet, vulgari idiomate excudendum, & inter suos, aliosque quàm plurimos gratis distribuendum curauit. Apud Reuerendissimum Nostrum vnus Sacerdos in Quadragesima circiter mensem cômoratus est, ybi & oppidanis, & Aulæ Antistitis,

atque

atque ipsi Antistiti vtilem operam nauavit: præsertim in
ijs quæ ex præscripto, canonum diuinorum Episcopis co-
gnitu sunt necessaria. Alij verò in Monasterijs aliquoties
fructuosè versati sunt, exercitationibus pijs tradendis, &
familijs Religiosis, ipsiisque earum Præfectis ad officium
strenuè excitandis. Præterea conciones funebres ad quos
passim vocati sumus, in eum potissimè finem instituebantur,
vt è præsentis spectaculo, summi æquè ac infirmi de
rerum humanarum fluxa conditione admoniti finem
suum spectarent, vitam corrigerent, & si qui erroribus
perfidia tenerentur maturè sibi consulerent. Et responde-
bat operæ vtilitas præsertim cum ista fierent in tanta
primorum, ac nobilium frequentia, quanta hîc solet ad
iusta suprema gentis more inuitari. Conuenerant ordines
maioris Poloniæ de Reip. consultaturi. Ibi aliquot hære-
tici factiosi, in omnem lædendi nostri occasionem intenti,
de nobis, & Ecclesiasticis aliqua inuidiosissimè subijcere,
moxque peruiulgatis, & obsoletis iam calumnijs onerare.
Contra etsi integritas ipsa luce clarior omnibus tacenti-
bus impudens illud conuicium refellere posset: oppo-
suerunt se nihilominus præter alios, pro suo in nos studio
duo maximè idonei veritatis patroni, Antistes noster, &
Maioris Poloniæ præfectus generalis. Vnde illi mali Dæ-
monis emissarij nihil aliud præterquam luculentum pro-
cacitatis suæ testimonium lucrati sunt, tantum abest, vt
nostræ opinioni aliquid offecerint. Exarserat alicubi
contentio plena periculi inter duas partes. Hæreticus
erat vnus caput, cumque irritò conatu, varia media ten-
tasset, denique flexit animum ad nos, & Patrem qui non
procul aberat supplex aduocat. Res Patris arbitrio acta,
& composita breui etiam in aduersariorum animis maxi-
mam Societatis excitauit venerationem.

COLLEGIUM CALISSIENSE.

HABENT scholæ iuventutem non minus florentem, quàm numerosam: sexcenti enim circiter discipuli numerantur; futuri multo plures, ni eos qui prima Grammaticæ rudimenta discunt, ad externos præceptores amandarem, qui tamen & ipsi, quia ex Collegij præscripto instituuntur, ac sæpius intra annum examinari soliti pro arbitrato, & iudicio Præfecti scholarum nostris Præceptoribus docendi committuntur, ad disciplinam Collegij pertinere videntur; sunt quæ prope ducenti. Viget quidem in omnibus his virtuti, pietatis & Religionis studium. Præcipuam autem in huiusmodi studio laudè ferunt illi, qui Beatissimæ Virginis Sodalitati sese addixerunt. Centum, & triginta circiter in vniuersum numerantur, omnemque scholarum florem complectuntur. Argumento sit, quod ex his tres egregij iuvenes perfectioris vitæ desiderio incitati, in nostram Societatem adscribi obtinuerunt, octo alij aliarum Religionum institutum sint complexi. Nec prætereundum est vnum ex tribus, quos dixi ad Societatem adscitos, non obscura diuinæ voluntatis significatione in eam mentem impulsus esse. Etenim repentino quodam, eoquæ grauissimo correptus morbo cum ægrè non modò loqueretur, verùm etiam spiritum traheret, spem prorsus omnem de valetudine deposuerat. Circumspectanti porrò animæ suæ statum, præsertim qui prolixiore tempore sacram confessionem intermisisset (iam enim relictis studijs, aulicis obsequijs sese addixerat) de eaquæ vehementer sollicito, & anxio, venit in mentem

mentem Religiosæ vitæ hominum Societatis, tùm verò ad Beatissimæ Virginis, Beatiq̃ue Patris Nostri Ignatij fidem, & misericordiam supplex confugere, vtriusque opem impensè implorare, inter ardentès preces votum etiã de ineunda Societate si præsentì periculo eriperetur, nuncupare. Non irritò conatu res facta; Mox enim insequenti luce exorta, valetudini, viribusq̃ue pristinis redditus, voti sponsione vt se exolueret, laborare cepit, Deoq̃ue iuuante perfecit. Hæresi eiurata ad Ecclesiæ gremium redierunt septemdecim, quo in numero plerique Nobiles fuerunt. Hoc quidem beneficium et maius fœminæ cuidam accidit, quòd in erroribus ab infantia educata, sexagenaria demùm, & iam in articulo mortis posita, in gratiam cum Deo & Ecclesia redierit, sacramentisq̃ue ritu Catholico perceptis diem obierit. Quidam vxori legitimæ superstiti alteram superinduxerat, cumq̃ue quadraginta prope annos in hoc coeno iacuisset Sacerdotis suau, relicto impuro matrimonio cum priore vxore in gratiam redijt. Confessiones de tota vita, vltra quam sexaginta audita, nec pauciores altius à compluribus annis repetita. Nonnullæ fœminæ à pellicatu ad vitam puriorem traductæ. Diffidia quoque non leuia inter quosdam composita, & sopita. Exercitijs spiritualibus nonnulli perpolitì. Eorum præcipuus fructus expectatur à duobus Religiosis è familia S. Benedicti. Atque hæc quidem domesticis laboribus perfecta sunt.

DOCTRINA Christiana partim in Xenodochijs suburbanis, singulis Dominicis & festis diebus, partim in pago quodam vicino doceri cœpta est. Alij etiã alibi missi, non poenitendos fructus retulerunt: ex quibus vnus intra dies aliquot, triginta totius vitæ cõfessiones excepit. Statuit Illustriss. fudator Collegij nostri ab altera templi parte, qua latius patet area, omnes de integro scholas extruere

exstruere, quæ & numero, & capacitate priores superent. Cæpta sunt iaci fundamenta, materiæque pars aliqua parata, ac quo locus ædificij futuri spaciosior esset, de cœmendis nonnullis areis partim transactum, partim tractatum. Non caret negotium difficultate obstante siue inuidia, siue cupiditate nonnullorum. Spes tamen est fore ut ætate sequenti bonam huius ædificij partem constitutam videamus. Templum quoque nostrum eiusdem benignitate, egregia quatuor candelabra ænea nactum est. Quorum duo in altum supra hominis staturam, iusta crassitudine. Area præterea Collegij eiectis nonnullis impedimentis, nouoque muro in quadam parte erecto, & ad capacitatem, & ad ornatum pulcherrimè accommodata est.

COLLEGIUM IAROSLAVIENSE.

MULTORVM licet è Nostris hoc anno salus, ac vita varijs morborum generibus sit tentata, omnes tamen vitæ periculum euaserunt: vnus tamen vi morbi iam ita prostratus est, vt (nisi singulari diuina gratia recreetur) planè non videatur amplius vnquam Societati fore utilis. Dederunt in Ecclesiam nomina ex schismaticis septem, salutari peccatorum confessione purgati, ex hæreticis quatuor, quorum duo spem nunquam redeundi ad Ecclesiam Romanam nobilibus viris iuramenti religione fecerant. Ex turpi lucro, & moribus corruptis ad meliorem vitam ducti 16. Meretricium deseruerunt quatuor, in quo nobilis quædam foemina octo annos delituerat. Quidam tribus propinaturus venenum reuocatus à proposito. Duo

aulici à superstitiosa dæmonum impostura absteriti. Supra tria paria coniugum inter se dissidentium ad concordiam reuocata. A concubinato abducti Parochi Podolizæ, & circumiacentium Prouinciarû viginti lachrymis penitentiam testantes: controuersia ad conscientiam spectantes explicata. Doctrina Christiana tempore Quadragesimæ in septem classes, in templo nostro fuit distributa, ad quam etiam prouectioris ætatis homines confluebant, non sine magno suo spirituali fructu, ac consolatione. Itum etiam est frequenter ad Nosocomium pauperum, qui non solum salutaribus cohortationibus, sed etiam sacramentorum vsu frequenti sunt recreati, Sodalitas Dei Matris viret, vigetque, quæ centum amplius egregios complectitur iuuenes. Sodalium maximè eluxit virtus, tum in voluntaria corporis diuerberatione (vt de priuata taceam) ad Domini sepulturam sub noctem redempto orbi dicatam, in magno hominum concursu tum in epulo, quo eadem die quadraginta pauperes lautè exceperunt. Vbi nobilissimorum iuuenum pietas ad obsequia planè abiecta culinæ, & mensæ promptissima, & liberalitas in subleuanda egenorum inopia, cæteris fuit admirationi, & incitamento: maximè verò cum remotis mensis ad lotionem pedum pauperes rei vel nouitate, vel indignitate dilapsos clanculum magno animi feruore requirerent, & ad huius virtutis exercitium retraherent. Sat benè instructa quoad ornatum, & symphoniam processione: itum est ab ijs ad infirmos Sodales fructum ex lectionibus, & colloquijs spiritualibus collectum in alios transfundentes, ad saniolem mentem nonnullos pertraxere. Hinc post longam spem, & desiderium duo Probationis domus (cum plures id flagitent) oblatis Scholasticorum externorum numerus in tam exiguo oppido sexcentorum ferè numerum attingit. Nec verò de templo tacendum est, ad cuius ornatum chorus Cantorum

& sedilia è quercu, ante duos incepta annos, presenti perfecta accesserunt, 300. ferè florenorum sumptu. Scholis etiam nouis totidem annis ædificari cœptis rectum est impositum.

COLLEGIUM LVBLINENSE.

PRINCIPES qui in Tribunali mirè, causis fauebant nostris, egerunt cum ciuitate de maiore scholarum spatio, & templi noui immunitate, de qua etiam ipsum Serenissimum Regem interpellarunt. Benefactores contulerunt bona subsidia in templi structuram, alius trecentos, alius quingentos, alius mille florenos. Magnum amorem, & beneuolentiam experimur præcipuorum in Rep. virorum: præcipuè Domini fundatores non desinunt nos augere beneficijs. Eorum alter quatuor millium debitum, eius sepulturæ Collegio donauit, & resignauit, data ea de re syngrapha, animumque suum addictissimum nobis testatus est, quem offensum ex aliqua causa suspicabamur. Scholæ & institutio earum multorum sermone celebratur. Fundum ante ab Illustrissimo olim Cardinali, & Capitulo Cracouiensi donatum, à Tribunali regni contra Emphyteutas adiudicatum est nobis. Templo suppellex plurima accessit, aureæ vestes aliquot. Nec minus ad animarum lucra laboratum est. Reconciliatus Ecclesiæ vir nobilis. In altero supremæ vitæ tempore magna susceptæ religionis constantia apparuit: vexillifer is erat Lublinensis, qui cum vnum ex Nostris detestandæ hæresis, & expiandi animi causa aduocasset, aderat frater hæreticus animo, & lingua ferox, hic deterrere à proposito hominem, orare, & obtestari, ne eam fidem in qua cõfenuisset in portu facto

naufragio desereret, & actam constantissimè ætatem ad
 præscriptum Euagelij, puriq; Verbi Dei obseraret, super-
 stitiosis Papistarum cõmentis, quæ hactenus etiam tem-
 plorum, & altarium demolitione oppugnasset (euerterat
 autem nobilem in eo tractu Ecclesiam) quæ ille exult-
 mabat causæ præsidia, hæc magis ægri animum flecebat
 ad poenitentiam, & præteritæ vitæ detestationem. Itaque
 cum Patris potius monita sequi decreuisset, germano ro-
 bore perfusus conscientiam aggressus est confessionem
 facere. Quod non successit hac, alia nihilominus rati-
 onem ille aggrediendum, utpote quod sine duce committit
 prælium amississet, ministrum per filium ægri curat voca-
 ri, eumq; ad ægrum inducit. At pater eum tempore ab-
 sentem non esse ferendum ratus, quid placeat ægrum
 percunctatur: dantque ad extremum illi optionem, ut
 quem vellet, deligeret. Respondit se eligere Iesum.
 Vos verò cum ministro nil moror, inquit. Ita re infecta
 discesserunt. Ne tamen communionis usum impediret,
 ei quoque rei prouidum est: sperabant enim, non suscep-
 turum illum vnã communionem: sed spe frustrati sunt,
 procuratusque pie sacramento Eucharistiæ, cum etiam
 morbo, & ætate grauis, nullo modo sineret se in lecto de-
 tinere, adeoque procumbens in genua Dominum ve-
 nientem excepit. Eo modo & confessionem perageret
 contenderat, sed à Patre obstitente in lecto collocatus
 est. Hac conuersione templum nobile in eo tractu in-
 structum, suppellectili preciosa, ad gremium Ecclesiæ ac-
 cessit, iamque ibi diuina celebrantur, & filius successor
 Nostrorum consilijs libenter acquiescit. Alius vir nobi-
 lis, & aliquantæ eruditionis, cum cæteros Caluini errores
 non probaret, in vno, quo minus ad Ecclesiam Catholi-
 cam rediret, vtriusque scilicet speciei vsu, hæsitabat, ve-
 neratq; eo animo Lublinum, quod speraret se posse vtra-
 que speciem obtinere, idque agebat occultè: sed cum ad
 illi

illi præcisè negaretur, multa mala imprecatus sibi, si vnquam vna specie contentus communionem perciperet, indignabundus è Collegio discessit. Tertio post die multa in vtramque partem cum disceptasset, flexus Catholicorum pio quòdam sensu, & cœrimonijs Ecclesiæ Catholicæ manus dedit. Sub idem tempus alius iuuenis illustri familia oriundus in hæresi educatus, factus Catholicus. Præterea matrona nobilissima nata hæreticis parentibus, alijsque nobiles viri quatuor, matronæ tres, virgines tres, & nonnulli alij: quædam item matrona nobilis, quæ primùm venientem Patrem non secus atque Cæcodæmonem, auersata erat: sic enim postea facta est, magna mutatione dexteræ Excelsi, multos etiam hæreticos ad confessionem hortata est. Ibi ab hæresi quatuor reuocati: a schismate quatuor.

ALIA item in missione quatuor Ecclesiæ reconciliata. Crasnistaiij vnus abiurauit hæresim. Vchanij tres reuocati à schismate, vnus ab hæresi, Luceorix cum bis Pater pro concione sacramenti confessionis vsum commendasset, excitauit ad eam etiam de tota vita faciendam plurimos. Ibidem à schismate quindecim ab hæresi octo respuerunt. Matrimonia illegitima partim dissoluta, partim ad legitimum vsum traducta. Disputatum cum ministro Anabaptista magna hæresis confusione, & Catholicorum solatio.

IN missione Leuartoniensi reliquerunt hæresim prope triginta, cum eorum quidam fuissent annis viginti, quidam 30. 40. 50. & vltra. Mulieres prostituta pudicitia, ad vitæ honestatem reducæ, septem, octo, quarum tres in matrimonio collocatæ.

SANCTI Lazari confraternitas magna accepit incrementa intra decem ferme dies 1500. floreni ex elemosyna collecti. Domus empta octingentis florenis, magisque in dies rem æstimant, ubi animaduerterunt deporta-

tis ad Valetudinarium ægris plateas liberari egentium infirmorum obsidione. Congregatio misericordiae multa impendit tum in dotem virginum pauperum, quarum castitas periclitatur, tum in opifices inopes, aliasque meritas egentium necessitates magno hominum probata in pietate, ac solatio. Vnus è Scholasticis Rhetor admittitur, duorum desideria dilata.

RESIDENTIA TORVNENSIS.

IN concionibus, & excipiendis sacris confessionibus præcipua laboris nostri pars domi, forisq; infumitur: quando quidem etiam in hac ciuitate heretica huiuscemodi occupationum nunquam ferè deest copia. Conciones nostras efficit celebriores non solum auditorum maximè Polonorum frequens multitudo, verum etiam complurium virorum, & matronarum nobilium concursus, quos siue valetudinis procurandæ studium, siue percipiendorum sacramentorum desiderium, & dierum certorum solemnitates, è vicinis locis excitos, Torunium contendere suadent. Et verò eiusmodi hominum præsentia, religioni Catholicæ tuendæ, & promouendæ non minimum affert momentum. Eo sdem porò dum ægro sunt corpore identidem visitando, & si res ita tulerit, ad extremum cum morte strenuè ineundum certamen disponendo, nobis beneuolentiores reddere studemus.

EXCURSIONES item ad loca vicina sæpius instituuntur. Non rarò quoq; vt funebri concione nobilium sepulturas exornemus, ab iisdem inuitamur. Siquidem huius loci nobilitas, alijs religiosis nostros, nescio quomodo

modo fuenit anteferre. Qui ab hæresi reuocati ad Ecclesie Catholicæ gremium partim hic, partim alibi sunt reuerfi 123. numerauimus. Grãdenti namq; ab vno Nostorum sub ipsum tempus Paschatis prope centum fuerunt numerati. In eo oppido edicto Regio nuper templum fuit Catholicis restitutum. Alij præterea complures dubij, & fluctuantes confirmati, & ad sacramentorum frequentationem diu intermissam reuocati, & ad totius vitæ confessionem adducti. Corporis Christi congregatio anno superiore inchoata incrementain dies sumit maiora. Die commemorandæ Christi Domini perpeffioni sacro à S. Spiritus æde, ad templum nostrum supplicatione insigni instituta maximè multorum nobilium animos, quorum eo tempore frequens fuit concursus, in se conuertit. Rogationum dies, & Christi corpori sacri, simili ferè cœritonia fuere exornati. Dominicanæ familiæ Religiosos magnam erga nos beneuolentiæ significationem declarare experimur: Siquidem etiam sui Patroni S. Hyacinthi festo die in suo templo à nostris concio vt haberetur expetierunt. Reuerendissimus noster vt hæctenus in nos egregiæ suæ beneuolentiæ, & amoris multis documentis non obscuram dedit testificationem, ita hoc anno eandem magis claram & euidentem effecit, quingentos quippe florenos nostræ fundationi adiecit, eo ipso tempore, quo regijs obsequijs occupatus non minimo pecuniæ sumptu egebat.

SCHOLAS ne hoc anno aperiremus, tumultus, & clandestina conspiratio quarundam in Prussia hæreticorum ciuitatum fuit impedimento. Ipso etiam Episcopo, vt eius turbationis exitum præstolaremur vltro suadete, ne videlicet flammã exfuscitaram fouere videremur, cum paulò ante nobis proponentibus aperiendas censuisset. Bibliotheca domus nostræ hoc anno sat multis libris, & sacrarium sacra suppellectile est auctum.

RESIDENTIA LEOPOLIENSIS.

CONCIONES in æde primaria habitæ. Nostri mane, & vesperi, omnibus pene diebus Dominicis, & festis cōmunioni ordinario canonico iam sene, & infirmo eas nobis concedente. In alio quoque templo monialium conciones habitæ, & earum ac Abbatissæ confessiones aliquoties auditæ. Similiter in templo primario confessiones ordinariæ exceptæ plurimorum tam concionum, quam hospitum, tum etiam militum, qui hęc se in Vngaria, & Moldavia militaturi, vel fines Polonios tutaturi expediebant. Nō pauci etiam Sacerdotes tam in ciuitate degentes, quàm ex vicinis oppidis, & pagis venientes Nostri confessi. Numerus autem qui generaliter sunt confessi sexcentorum quadraginta quatuor excedit. Heretici hoc anno sunt Ecclesiæ reconciliati septem & viginti. Inter quos vir quidam quadragenarius in hæresi tota vita sua manens, ac tandem minister Zvinglianorum factus cum à Lituanico Superintendente missus esset in Podoliam, & Volsiniam ad disseminandas hæreses, monitu quorundam Catholicorum ad nos directus, nobisq; commendatus per dies aliquot in Catholica religione institutus tandem resipuit, ac hæresi abiurata sacramentis expiatus, litteras etiam suæ missionis apud nos reliquit. Commendatus à nobis Duci Olicensi, & eius Parocho ad eos se contulit. Similiter alter quidam quinquagenarius hæresim abiuravit. Iuuenis quidam à puero hæreticus conuersus. Alius item iuuenis viginti annos natus, à Domino hæretico, parentibus Catholicis ablat-

tus à

tus à puero, cùm hæretico illi famularetur tota sua vita
 à sacramentis abstinerat, in fide Catholica eruditus, &
 firmatus sacramenta percepit. Nobilis quidam hæreticus
 ætate maturus, professione miles, cùm diu Nostris con-
 uertere eum cupientibus reluctatus esset, tandem ipse
 sponte ad confessionem accessit, hæresim abiurauit, sa-
 cramque communionem accepit. Arrianus quidam no-
 bilis baptizatus. Iudæus annos circiter triginta agens
 relicta vxore & liberis Baptismum petebat. Instructus à
 nostro Sacerdote, & baptizatus constans perseverat:
 ducta Catholica vxore, etiam ciuitate, & pellionum ar-
 tificum contubernio donatus Nostrorum commenda-
 tione. Circa Rutinos etiam & eorum Sacerdotes, vt vo-
 cant Popos est, laboratum.

IN missionibus tria oppida, & triginta pagi Rutino-
 rum ad vniõnem Catholicæ Religionis sunt attracti. Po-
 pi autem quadraginta tres hæresim anathematizauerunt:
 & deinde in nostris templis sacra, & conciones ha-
 buerunt suo ritu, & lingua: nos similiter nostro ritu, &
 lingua Latina, cum magna consolatione, & spirituali
 gaudio, tum ciuium, tum etiam Dominorum in illorum
 templis sacra habuimus. Conciones autem & Polonicas,
 & Ruthenicis fecimus. Accesserunt ad Romanum ritum
 Rutheni, relicto suo, viginti duo.